



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118448**

§. 78. Tumultus Mediolani post Ludovici discessum exorti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Sæcul. XV.  
A. C. 1500. rum aiebat Rex, eoquod cum omnibus Christiani Orbis Principibus jam antea pacem sanxisset. II. Munita quædam civitas ad Italiæ fines sita ei tradatur, quæ ad opportunum necessitatis perfugium reservetur. Pontifex, cum ceteri Principes serme eadem responderent, ad Regis Angliæ postulata rescribere, haud operæ pretium duxit.

§. LXXVIII.

*Tumultus Mediolani post Ludovici discessum exorti.*

Tantopere occupandi Neapolis regni consilia Ludovici Regis animum occupabant, ut omnem Turcici belli cogitationem abjecisse videretur; amplio-rem enim spem rebus suis repositam esse existimabat in Neapolitani Regni expugnatione, aliunde etiam, cum in Mediolanensi Ducatu Gallorum possessio nondum factis stabilita esset, ad auctoritatem suam ibidem firmandam omnia studia impendere debebat, his tamen curis segnius invigilasse probatur; prius enim mutabilitate Mediolanensis populi genium fidei stabilem muniri oportuisset, quippe haud temere etiam ex eorum facilitate, qua a Ludovico Duce defecerant, timere potuisset proprii casus periculum, ac subditorum seditionem priori haud absimilem, quam



quam sola regiminis clementia. Regis-Sæcul. XV.  
 que præsentia summe necessaria præca-A. C. 1500.  
 vere valuisset. His nil certius quoque  
 sperabant Mediolanenses; ast præcipi-  
 tem Ludovici Regis discessum pro certo  
 futuræ calamitatis præfagio habebant,  
 malique suspicio augebatur, cum Alegrius,  
 qui Ducis Valentini copiis præerat, jussu  
 Regis exercitum revocasset; timebant  
 enim, ne Rex armorum vi pristina tribu-  
 torum onera extorsurus foret; facile enim  
 sibi persuasum habebant, eundem, cum ex  
 Ducali patrimonio nullos amplius pro-  
 ventus perciperet, graviora, quam ferre  
 possent, vectigalia impositurum. Acces-  
 sit etiam intempestiva Gallorum benevo-  
 lentia, qua cunctos honores, atque digni-  
 tates Guelfis passim concedebant, ne-  
 glecta Gibellinorum factione, quæ tamen  
 apud Mediolanenses gratia, numero, &  
 potentia prævalebat. Equidem Trivul-  
 tius, quem Rex se absente toti Insubriæ  
 præfecerat, facile querulæ plebis præ-  
 textus tollere, bellicque civilis initia re-  
 stinguere valuisset: ast hujus Viri indoles  
 superba, ferox, iræ impotens, vindictæ  
 cupida, atque fastidiosa, potius ad irritan-  
 dos, quam conciliandos sibi animos  
 nata erat; unde clandestina adversus eum  
 cudebantur consilia, Gallici exercitus  
 indignatio in illum concitabatur, tanta-  
 que inimicorum frequentia in eum ex-  
 sur-



Sæcul. XV.  
A. C. 1500.  
surgebat, ut ipse non parum expavesce-  
ret. Tandem tota Mediolanensis ditio  
sensim tam lata exarsit seditione, ut in  
cunctis urbibus vix ullus inveniretur, qui  
in fide Gallorum permaneret; omnes e-  
nim pristinum Regimen auxiliis votis ex-  
optabant, atque Ludovico Sfortiæ etiam  
rerum incerto, ad imperium, a quo ipsum  
paulo ante deturbare adlaborabant, jam  
reditum parabant.

## §. LXXIX.

*Irruptio Ludovici Sfortiæ in Medio-  
lani Ducatum.*

Interea Maximilianus Imperator Ludo-  
vicum Sfortiam in aula sua perhonorifi-  
ce excipiebat atque jurata fide pollice-  
batur, semetipsum cum exercitu suo in  
ejus auxilium brevi accursurum. Ludo-  
vicus hac spe fretus, cum octo Helve-  
tiorum millibus, & quingentis Comita-  
tus Burgundici cataphractis, stipendio  
conductis, in Italiam una cum Ascanio  
fratre suo contendit, ac primo vere hujus  
anni Equitatu Germano auctus, Medio-  
lani Ducatum ingreditur, Trivultio re-  
rum penitus ignaro, qui tamen simulac  
Ludovicum Ducem rediisse comperit,  
mox omni ope, ac opera in id incubuit,  
ut hosti obviaret, ac pedem referre com-  
pelleret. Ast cum Gallorum exercitum  
recen-